

Dei iustitia, nec se elongavit diuina clementia. Impugnari voluit diabolus, sed sola peccata purgavit Dominus: fidem puram, deuotionem sanctissimam obfuscare voluit princeps tenebrarum; sed Deus qui lux est, & tenebræ in eo non sunt vllæ, de camino clariorem extraxit, & aurum suum pretiosius reddidit. Si superest dilectus noster Crispinus, attentissime illum vobis commendamus, & filium Ioannis Burgensis nostri, & omnes quos vobiscum duxistis. Dilectissimus vester Abbas sanctorum Crispini & Crispiniani salutatur vos. De his quæ apud nos fiunt, suggero Domino meo, quia satis prospera sunt. Senonensis Archiepiscopus factus est Remensis: Magister Ioannes Saresberiensis, quondam clericus noster, factus est Episcopus Carnotensis. Conuentus noster semper orat pro vobis. Ioannes Burgensis multum salutatur vos.

47.

1162 — 1178.

Samme Abbct PETERS ytterligare skrifvelse till densamme i samma ämne.

K. h. 2: 598. n:o 125.

*Londensi Archiepiscopo Petrus abbas sancti Remigij.*

Imago vestræ dilectionis impressa & expressa stylo ferreo in vngue adamantino cordis nostri viget, & in eo vigere non cessabit. Radicem namque misit deorsum, quam irrigare non cessat iugis, & quotidiana recordatio benignitatis vestræ ad amicum, ne dicam ad seruum vestrum. Totum enim me occupat gratia, & amicitia, excluso, & expulso timore, tanquam mercenario. Inde est, pater reuerentissime, quod in oblatione primitiarum mearum Domino viuo & vero vestri quoque memoriam eius propitiationi pro posse quotidie repræsentato. Redijt ad nos Magister Crispinus, marina portione non parum amaricatus, vestro tamen beneficio aliquantulum recreatus. Inter cætera retulit nobis duram historiam naufragij vestri, in qua elatione sæuissima mare aduersum vos intumuit, ventus immoderatus nauem ferocissime percussit, tempestas paulominus absorbit. Recordor, Petrum in fluctibus ambulantem, & ventum validum contra illum venientem, Paulum tertio naufragantem, Ionam absorptum a bellua, quæ tamen illum retinere non potuit. Domine Iesu, ubi eras? manum auxiliij quare tunc subtrahebas? nisi forte vt de reliquijs calicis tui, quem cum in passione gustasses bibere noluit, ministri tui & sequaces de eodem mixto portionem, siue portionem, quæ sibi contingebat, ad recuperandam sanitatem, immo hereditatem.